Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Associates of the Boston Public Library / The Boston Foundation

http://www.archive.org/details/extinctaservitut00engl

EXTINCTA SERVITUTE APUD INSULAS OCCIDENTALES, QUÆNAM COMMODA VEL INCOMMODA POSSINT EXINDE ORIRI?

Cum forte proximo anno mercaturæ faciendæ causa inter Occidentales Insulas versarer, a Marco nostrati sum hospitio acceptus, viro mecum longa familiaritate conjuncto. Is enim a me impetraverat, ut prius apud se paululum commorarer, quam in Britanniam redirem. "Nullus enim," inquit, "dubito, quin te, cum domum reverteris, quid de trita ista et prope decantata servitutis quæstione censeas, populares interrogaturi sint. De qua, etsi meæ opinionis haud ignarus es, tamen aliorum quoque sententias tibi non ignotas esse velim." Itaque paulo post sub vesperem inter ambulandum (calor etenim sese fregit aliquantisper,) "Quin Appium," inquit, "adimus vicinum, cujus sunt agri omnes hi, quos oculis possis comprehendere?" (montes vero haud procul visum intercepere) "mihi enim persuasum est, te, cum illius sermonem audieris, altera parte perpensa plenius, fortasse et melius (mea etenim non nimis diligo) de tota hac quæstione esse judicaturum." "Quin igitur," inquam, "eamus illico: id enim per mihi gratum fuerit." Appium ergo confestim adivimus. Qui plurimum salvere Marcum quidem nomine, me vero vultu blando, utpote ignotum, compellans, jussit. "Et nos," inquit

7586.62 (20)

Marcus, "Appium. Num tamen parum tempestivi tuis cogitationibus" (solus enim ambulabat) "intervenimus?" "Minime gentium," ait Appius. Mihi vero amicum tuum" (Titum nomine interposuit Marcus) "aspicienti in mentem venit, quantum is[1] qui hoc mense primum huc advenerit, et regionis amœnitatem et cæli temperiem admiretur sit necesse. Nunc enim arbores, uti vides, tegmine foliorum ornari, campique haud ita pridem exusti subrufum colorem mutare, et tellus omnis (quod quidem minime exspectaveris) viriditate vestiri."

Tunc ego: "Ita quidem, Appi, res sese habet; sed nihil magis me delectat, quam ventus[2] iste, cujus flatu nimii temperantur calores, qui simul atque efflaverit, sub umbra non modo tolerabilis fit temperies, verum etiam jucunda. Porro noctes hoc mense sunt oppido pulcherrimæ. Ætheris enim splendor et serenitas ad animi tumultus mitigandos nescio quid conferre solent, et mira dulcedine omnes sensus pertentare. In cælo viden? quam puro Luna effulget, Solisque adeo ipsius radios lumine quasi suo non repercusso imitata, ut literarum formas etiam perscrutari possis, et ea stella ipsa, quæ in plagis Septentrionalibus Lunæ sese longe minorem ostentat, hic modo non par esse videtur; unde fit, ut vel arbores umbram jaciant, et crepusculi heu! nimium brevis desiderium cum spectaculi pulchritudine compensetur."

Tum Appius: "Tibi quidem hæc omnia sese novitate commendare possunt, neque mihi, utcunque cognita,

[1] Bryan Edwards's *Hist. of West Indies*, I. p. 7.

[2] Ibid. pp. 7, 8.

sunt penitus injucunda: nunc vero in loca secretiora libenter me contuli. Maxima etenim solicitudine angor et dubitatione, quorsum hæc tendat servorum manumissio; etenim, nisi me fallit animus, mali plus quam boni exinde est proventurum."

Tum Marcus: "Magnam, Appi, et dignam tractatu quæstionem movisti, quæ cum de futuris agatur, vatem magis quam philosophum desiderat; neque ego is sum Œdipus, qui ista vel ænigmatibus obscuriora enodem, quæ modo hi, modo illi, ut suas quisque partes tueatur, edisserunt. Animus enim ob diversa hominum testimonia, quorum aliis alia sunt commoda, adeo in partes contrarias distrahitur, ut ex iis commentariis, quæ ad rem enucleandam sunt proposita, quantacunque cura et animi intentione fuerint perpensa, nihil certi colligi possit. His si creditur, Senatui, Populoque Britanno maximæ sunt habendæ gratiæ, qui per tot regiones, quot in sua potestate et ditione tenent, vel ipsum servitutis nomen voluerint delendum: neque cives, utrum albus sit an niger, in ullo discrimine habuerint; illi autem malitiosa, et prope incredibili sagacitate mala futura odorantur, et de Coloniis Occidentalibus actum esse existimant[3]. Atqui horum spei neque diffidendum est nimis, neque illorum repugnantia obstinata est suspectanda. Mea quidem sententia, res modo caute administrentur, hæc ipsa manumissio aliquando est prospere eventura; qui vero mutationem tam subitam tamque ingentem sine ulla perturbatione fieri posse arbitretur, næ ille in errore magno versatur. Namque dominis libertatem servis, servisque potestatem dominis

[3] Vid. *Parliamentary Documents*, 1835.

invidentibus, ita facilis ad exardescendum erat materies, ut tantum, qui ignem admoveret, deesset. Verum id, quod magis exoptandum erat, quam sperandum, evenit; omnia etenim inter utrosque odia sunt maxima ex parte composita; quod quidem argumentum haud leve est, ex hac ipsa impræsentiarum concordia fructus etiam uberiores in posterum reportatum iri."

Tum ille: "Tuæ," inquit, "expectationi, Marce, mea quoque vota adjuncturus sum, et vehementer cupio alterum illud, prope dixerim, aureum sæculum jamjam instare. Attamen quis est tam insulsus, ut, quum vera de hac quæstione perdidicerit, neget, servos esse nondum ad libertatem aptos? Me quidem diu cogitantem ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, ut existimem, libertatem sine disciplina hominibus plerumque obesse, quippe quæ in licentiam verti soleat, qua nihil potest esse efficacius ad vincula societatis disrumpenda. Ea etenim civilis vitæ ratio est, ut multis rebus constet, quas quidem satis accurate ne periti quidem tractare possunt, nedum imperiti. At[4] servi non modo indocti, verum etiam discendi facultatibus carere prorsus videntur. Quod si res aliter esset, neque statûs mutationi impares esse viderentur, adeo sunt, quasi vinculis, ignorantia, pravitate, et superstitione impediti, ut mehercule opus esset difficile eorum vires coërcere, multo magis ingenia vel prava corrigere, vel humilia tollere, vel ea denique, quibus inessent ne virtutis quidem semina, religionis et doctrinæ nutrimentis educare. Accedit quod inveteravit opinio, Afris a natura divinæ auræ particulam esse denegatam; indolem

[4] Presbyter's *Letters on the West India Question*, pp. 22, 23.

vero iis inesse infimam et vix humanam, et tantum non ab omni cultu atque eruditione alienam; totum denique genus imbecillitate et corruptione quadam nativa ad labores, jumentorum instar, perferendos, esse genitum."

"Nihilominus," inquit Marcus, "sua ipsi domini ratione agendi convincunt sibimet esse persuasum, servos non modo ea, quæ homines deceant, sentire, verum etiam, quæ sentiant, perficere posse. Atque ita manavit opinio, quæ imprimis moram attulit, quominus cum mancipiis eruditionis bona communicata vellent. Namque omni studio enitendum putavere, ut ne elementis quidem doctrinæ vel artium informarentur; metuebant scilicet domini, ne servi, vinculis amotis et renovatis viribus, et indies magis magisque auctis, omnia conjuratione facta confunderent, et supplicia de illis sumerent quam maxime atrocia."

"Eam sane opinionem," inquit Appius, "nonnulli ex advenis[5], minime mali quidem illi, sed non satis prudentes, inscitia fovebant; cum id agerent sedulo, ut caliginem mentibus Afrorum discuterent offusam. Laterem quidem, quod in proverbio est, ne lavent, multum ipse vereor. Etenim nova hæc rerum facies minime postulat, ut aliquis de mentis caligine, verum de rubigine, ut ita dicam, corporis, quid faciat, meditetur: neque animi institutio quidquam in tali re perficere poterit, nisi corpus stimulo majore ad labores fuerit exercitatum. At servi[6], qui nunc non nisi necessitate impulsi laborant, modo si iisdem atque nunc moribus vixerint in posterum, libertate semel recuperata abutentur, inertissimo ac desidiossimo otio afflu-

[5] Presbyter's *Letters*, p. 24. [6] Ibid. p. 55.

entes; quippe quibus, modo paululum anni incubuerint labori, concessum fuerit ob ipsius plagæ temperiem reliquos per menses (quæ est terræ fœcunditas) genio suo indulgere.

Noli autem, Marce, putare, his argumentandi causa fictis, me veritati minus consulere. Etenim, si quis cum Thucydide[7], teste locupletissimo, censeat, eum, qui de futuris recte judicare velit, præterita altius introspicere debere, ex Haytiana[8] republica ejusque fortunis colligi potest, libertatem mali plus quam boni hominibus esse allaturam, nisi qui fuerint ad eam accipiendam idonei, et potuerint acceptam tueri. Quid, quod servi dominorum cæde libertatis potiti diu rempublicam perturbatam tenuerunt? Neque quisquam erat ingenii adeo hebetis, quin vel atrociora, quam quæ evenerint, eventura esse, præsagiret. Primo reipublicæ gubernator deerat, deinde eam sævissimi tyranni excepere; cumque angustiis temporum, rerumque asperitatibus sedatis non tam respublica, quam reipublicæ quasi umbra fieret, inediæ timor ob agriculturam neglectam eos, qui potestatis sunt potiti, impulit, ut ea molirentur, quibus servile vulgus verbo tenus liberum ad laborandum cogerent! Itaque libertas tam diu exoptata in novam quandam servitutem conversa est, et hominibus, qui neque servi esse voluerunt, neque potuerunt sese, uti liberos decuit, gerere, vivendi etiam rationes sunt imminutæ. Procul igitur, procul absit libertas ista Haytiana, quæ magna voce nos prohibet servos manumittere intempestive! Ii enim, ubertate præstantem insulam habitantes, non modo ea, quæ ad bene beateque

[7] Vid. I. 22. *sub fin.* [8] Presbyter's *Letters*, p. 25.

vivendum pertineant, parare nequeunt, verum etiam ne minimum quidem in iis, quæ ad mores emolliendos animosque instituendos aliquid conferunt, provecti sunt."

Tum Marcus: "Te vero, Appi, ut mihi quidem videtur, fefellit, servos nostros non nisi sextum post annum plane sui juris esse futuros; interea temporis (quod nobis et ipsis et toti denique Reipublicæ felix faustumque sit!) occasionem oblatam animorum parandorum, formandorum, instituendorum quam maxime arripiant!

Quod vero de Haytianis rebus dixisti[9], id unum, fateor, commonstrat, cauto pede nobis esse incedendum. Multa enim habeo dicere, quibus te, cum ad ista confugias argumenta, vel invitum ad meam opinionem traham, libertatem posse sine detrimento servis donari. Isti nimirum per cædes, per rapinas, et super dominorum cadavera incedentes viam sibi libertatis aperuere. Id autem temporis erant nostris etiam servis, mercatura ista execrata adhuc vigente, simillimi: quorum maxima pars erant Afri, quibus, feræ instar recenter captæ, crudelitas ingenita non omnis exuta esset, quosque invasisset dolore simul et odio excitatos cupido acriter dominos, si quam forte occasionem nacti essent, ulciscendi. Fervebat insuper Gallorum res novas molientium libido insana, et qui uno eodemque tempore non modo libertatis, sed etiam rerum administrandarum sint potiti, consentaneum erat Naturæ, eos, cum suo arbitratu vivere intempestivius copia daretur, per fas et nefas licentia ruituros effrenata. Quid mirum vero rudes servos et indoctos tales exstitisse, cum Europæ gens omnibus

[9] Presbyter's *Letters*, pp. 27, 28.

ornamentis insignis, quæcunque rempublicam bene constitutam ornent, iis flagitiis inquinaretur, quæ vel barbaris dedecori essent? Illud autem jure mireris, adeo in artibus et rebus politicis profecisse, quantulumcunque vel acerrimus quisque obtrectator concesserit. Equidem vero non dubito, quin illi, qui de alba cute gloriantur, si vel iisdem periculis objecti, vel (id quod hominum animos maxime commovet) iisdem contumeliis essent vexati, flagitiosa pariter neque minus detestanda in se scelera admisissent."

Quæ cum dixisset Marcus acrius, ut solebat, et intento ore, subridens Appius, "Ipse," inquit, "non minus sum paratus vituperare rationem eorum, qui censebant servorum opera dominis locanda, quam Marcus erat res Haytianas laudare. Quam ego rem argumentis non multis quidem, sed firmis validisque sum probaturus. Poteram et ipse ad coloniam[1] istam provocare, quæ in Africam olim deducta omnes omnium spes frustrata est. Legati enim illuc missi, qui de ea ad Senatum referrent, testantur uno ore, 'ne Afri desidia languescant, neu tempus per otia terendo paulatim delabantur in flagitia, ad labores etiam vi urgeantur, necesse esse.' Cum igitur conatus omnes et temperie cæli adjuvante, neque cæteris rebus adversantibus, irriti essent, velim illud quoque mihi commonstres, (id enim est de quo agitur,) cur hæc recens manumissio adeo non te terreat, ut tute ipsi persuaseris, dominis, quum sex anni effluxerint, tum colonos non defuturos, tum terram ipsam agrorum ubertate, rerum omnium abundantia aliquando fore ditatam."

[1] Scil. *Sierra-Leone.* vid. Presbyter's *Letters*, pp. 28, 29.

Tum Marcus: "Geram tibi, Appi, morem, et ea, quæ vis, ut potero, explicabo; nec tamen certa ut sint, quæ dixero, sed ut 'homunculus unus e multis, probabilia conjectura secutus.'[2] Noli autem commoveri nostra disputatione, neque enim te graviter ferre decebit, si quid forte tuas aures perstringet molesti, vix enim te fallere potest, hanc esse ejusmodi sermonum legem, judicium animi, citra damnum affectus, proferre. Quo magis quisque pro se laborat, eo animus intentior, et opus expeditius, magisque fit elaboratum. Igitur, cum servi operam suam locarint, ipsis majus emolumentum, major copia reipublicæ exspectanda est. Quod si hanc controversiam historicorum auctoritate dirimendam putes, mihi quoque liceat Thucydidi tuo meum Herodotum[3] opponere, scriptorem mehercule non minus legenti jucundum, quam utilem discenti. Eo enim auctore, Athenienses, quamdiu tyranni dominatum occupavere, ne ullis quidem finitimorum bello erant pares; at in libertatem vindicati facile principes exstitere. Cujus testimonium res etiam recentiores confirmant apprime. Ii enim, qui in Australes[4] insulas sunt deportati, non solum in commune ac publicum laborant, verum etiam iisdem concessum est mercedem voluntaria opera demereri. Nimirum qui mane servi viribus adhuc integris, operantur, ita sunt ignavi, ita desidiosi, ut, etiamsi gravissimorum suppliciorum metu urgeantur, opera vix alendi sumptus adæquent; iidem autem vespere, simul ac labore coacto cessaverint, liberi corpore utcunque fesso repente e vestigio ex inertibus, tanquam aliqua Circæa arte, frugi evadunt et modesti."

[2] Cic. *Tusc. Quæst.* I. 9.

[3] V. 78.

[4] Presbyter's *Letters*, pp. 52, 53.

Tum ille: "Sed et alia mihi occurrunt cur hæc modo lata lex spes tuas sit frustratura. Primo enim e dominis perpauci[5] in prædiis suis vitam agunt; qui quidem ea, quæ deberent, cum nequeant ipsi præstare, necessario procuratoribus[6] relinquunt. Ii autem, quippe quibus non jam, ut ante, liceat pro arbitratu suo pœnam de servis sumere, novum rerum statum non modo non amplectuntur, verum etiam summopere adversantur. Namque et dominationem impræsentiarum ademit, et in posterum victum ademptu-rus est. Deinde ex iis, qui hic habitant, vel pauciores mercedem solvere pro voluntaria opera poterunt; nisi si æs alienum adeo contrahant, ut suos fundos pignori opponere, et ipsi servi potius quam domini fieri cogantur. Neque vero procuratorum repugnantiam quispiam jure flocci fecerit; namque ad bene gerendam rempublicam singulæ partes idem velint ac nolint est necesse. Illud etiam adjungas, quod nobis novum vitæ curriculum ingredientibus, novasque institutiones inducentibus magnopere est cavendum, ne qua forte offensio excitetur. Nimirum idem in legibus quod in rotis contingit; namque, rebus omnibus facile labentibus, impedimentum percipi solet nonnisi molestissimum; curru autem collem ascendente, vel lapillus moram rotæ affert maximam et tarditatem. Multa etiam de aliis rebus volui dicere; verum nos, tanto utut impares negotio, piget tamen necessitatis illius, quæ coëgerit sermonem huncce tantis angustiis coarctare, et quæstionis tam gravis, velut immensi cujusdam maris, oram legere non nisi extremam. At solitos, ut ita dicam, cancellos

[5] Madden's *Twelve Months' Residence in the West Indies*, vol. II. p. 286.

[6] Ibid. pp. 287, 289.

sermo est noster longe prætervectus: itaque ambulationi finem jam faciamus," inquit, "nosque curemus, et aliquando ab hac disputatione animos nostros laxemus."

Deinde, ut cubitum discessimus[7], me et fessum de ambulatione, et qui ad multam noctem vigilassem, arctissimus somnus complexus est. Hic mihi, credo equidem ex hoc, quod eramus locuti, fit enim fere, ut cogitationes, sermonesque nostri pariant aliquid in somnis tale,

εὕδουσα γὰρ φρὴν ὄμμασιν λαμπρύνεται·[8]

Vilberforcius, humana veste deposita, visus est ostendere se illa forma, quæ mihi ex eximia illa imagine[9], in qua viri humanitas ad vivum exprimitur, quam ex ipso erat notior. Quem tamen etiamsi non statim agnovissem, ne ullum quidem vox illa ita plena et suavis, ut a quodam olim 'Curiæ Philomela[10]' venuste nominaretur, fallere potuisset. Tum ille in hunc modum est exorsus: "O præclarum illum diem, cum omnibus tenebris fugatis veritas illucescet, cum Occidentales hæ Insulæ non magis egregiis Naturæ dotibus et insita fertilitate, quam incolarum industria libertatisque bonis innotescent! cum sentient tandem homines, quam prorsus fœda res lucrum ex hominum servitute petitum, quam calamitosa et plane nefaria servitus ista, nimis diu per hasce regiones grassata! Adsit profecto, adsit tempus, cum homini homo, non, ut hosti hostis obviam ibit, nec ut servo dominus intemperanter, sed ut amico amicus familiariter inter se versabitur. At nondum irarum est satis; nondum tempestatis æstus per hasce Insu-

[7] Cic. de Rep. VI. *sub fin.*

[8] Æsch. Eum. 104.

[9] Ann. Biog. 1834. p. 207.

[10] Ibid. p. 203.

las desæviit. Sicut enim mare, quum ipsa ventorum vis sese remisisset, adhuc fluctuum tumore recentem tumultum prodit, ita res Insularum impræsentia commonstrant, vixdum adesse tempus, cum sapientium votis vita incolarum omnino responsura sit. Quæ quidem bona, si Deus Optimus Maximus faveat, possunt accidere; quamquam in humanitatis contra avaritiam, et veritatis contra errorem contentione, quæ subsidia vel ex malis cupiditatibus, vel hominum inveteratis opinionibus causa deterior comparatura est? Quod si res minus prospere evenerint, (quod Deus utinam averruncet!) non tamen suæ erga genus humanum benevolentiæ eos pœnitebit, quos de servorum manumissione diu solicitos spes nimiæ fefellerint; neque si æqualium judicia malignitas et invidia tardaverint, posteri tamen de illis aut falsa sint, aut immitia dicturi. Erit nimirum solatio haud parva, ad eam labem abstergendam, quanto ardore possent maximo, incubuisse, quæ non magis Britanniam cæteras præter gentes artium laudibus efflorescentem, commaculavit, quam sanctæ illius Religionis, quam deveneramur, præceptis adversata est."

Ille discessit; ego somno solutus protenus sermonem hesterna die habitum, quantum potui, accurate literis mandavi, sperans fore, ut aliquando fructum exinde perciperem.